

se pacis auctores & arbitros præbuere : hinc Severinas, 1485  
inde Lodovicus Sforcia, nunciis citro ultroque missis,  
rem non solum Galliæ, ubi res gerebatur, sed toti Ita-  
liæ optatam moverunt. Sed dum de pace agitur, aut cer-  
te non multo ante, circa Ferrariam Respublica parum  
prospere gesta est. Irruperant ex Veneta statione, quæ ad  
Obscurum Lacum erat, plures peditum centuriæ, omnia-  
que suburbana loca circa Ferrariam terroris compleve-  
rant: tentarant ad hæc Veneti ductores, hostem infidiis  
excipere. Sed ille tam diu intra urbis munitiones se te-  
nuit, donec composito agmine, Venetum se in castra re-  
cipere vidit; tum paucas equitum in eum turmas immi-  
sit, quæ, per equitem levis armaturæ certamine injecto,  
usque ad id Parci latus quod Casagiam respicit, hostem  
pugnando distinuerunt. Hic vero turbatis ordinibus, Vene-  
tus in fugam actus, per fossas & aggeres viis circumiectos  
præceps datus est: multi cæsi sunt, plures vulnerati, capti  
autem plurimi: quadringenti & amplius in hostium potesta-  
tem venere, qui, ademptis armis (ut Italicae militiaæ mos  
est) dimissi sunt. Thronus ad Obscurum Lacum legatus,  
per hos dies, aut certe non multo ante, morbo implicitus,  
ubi Venetias delatus est, ex humanis decepsit. Pax inte-  
rim ad exitum spectabat; induciisque utrinque indictis,  
ex Verona videndi studio in castra me contuli: ubi a Ni-  
colao Pisaurio & Luca Pisano legatis (ad quos cum  
Trivisani literis veneram) benigne acceptus ultraque ca-  
stra per ocium lustravi: ea haud multum sunt mihi visa  
inter se distare. In eo magnum apparuit discrimin: quod  
ubi ab Alphonsi tabernaculum accessi, non sine stupore  
publica omnium Italiæ Principum ac populorum signa  
in ejus vestibulo præfixa intuitus sum: quo spectaculo ju-  
dicavi, quantam belli molem Venetum imperium ad  
eam diem sustinuisse.

Pax, ut dixi, aliquanto antea a ducibus mota, per  
eos dies his conditionibus secuta est: ut Veneti Asulam,  
Romanum, & quicquid eo bello in Gallia amisissent,  
reciperent: ipsi vero, deductis citra ultraque Padum præ-  
fidiis,